

649

Sommerwerk

der

N

78

DISSSERTATIONEM
PRAECEPTA PRAECIPVA
ORATORIAE
EX
PSYCHOLOGIAE PRINCIPIIS
DEMONSTRANTE,
PRAESIDE
VIRO NOBILISSIMO, ATQVE DOCTISSIMO
CHRISTIANO GODOF. STRVENSEE,
PAED. BERG. COLL.
IPSIS CALEND. OCTOBR., HORA II. POST MERIDIEM,
IN COENOBIO BERGENSI
DEFENDET
AVCTOR
CAROLVS OTTO PLESMANN.

MAGDEBURGI,
LITTERIS CHRISTIANI LEBERECHT FABRI, PRIV. TYP.
M DCC XXXII.

PERILLVSTRI, ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO,
DOMINO SAMVELI
DE MARSCHALL,

AVGVSTISSIMI BORVSSORVM REGIS MINI-
STRO STATVS POLITICI INTIMO, IN SVPREMO, BEL-
LI, AC REDITVVM PVBLICORVM, REGIMINE
DIRECTORI,

ECCLESIAE CATHEDRALIS, ET ILLVSTRIS GYMNA-
SII IOACHIMICI DIRECTORI VICARIO, AMPLISSIMI
HAVELBERGAE CANONICORVM COLLEGII DECANO,

DOMINO HEREDITARIO IN DAHLWITZ,
MVNCHHOFF, TASDORF, RAHNSDORF, ETC. ETC.

VT ET

ILLVSTRI, ET AMPLISSIMO DOMINO

DOMINO

**CHRISTIAN. OTTONI
MYLIO,**

A CONSILIIS INTIMIS AVGVSTISSIMI BORVS-
SORVM REGIS, SVPREMIQUE APPELLATIONVM
IVDICI CONSILIARIO AMPLISSIMO, IVDICI
BELLI GENERALI:

*MAECENATIBVS INDVLGEN-
TISSIMIS*

LABORIS SVI PRIMITIAS

OFFERT

AVCTOR.

PER-

PERILLVSTRIS, EXCELLENTIS-
SIME DOMINE,
ILLVSTRIS, AMPLISSIME DOMINE,
MAECENATES INDVLGEN-
TISSIMI,

A udax, fateor est quod suscipio, & temera-
rium. Enimuero, quod id, qualemque est, in lucem ausus sim protrahere, quis non miretur? quod quidem fulgentissimis
VESTRIS nominibus condecorerit, videtur incre-
dibile. Soluat vero audaciæ crimen, singularis, qua
VOS veneror MÆCENATES generosissimi, animi
reuerentia; a qua temerarium hocce consilium
mutuatus sum. Cui enim munus id potius debe-
tur,

DEDICATIO.

tur, quam VOBIS, qui plurimis, iisdemque luculentissimis benevolentiae speciminibus me constrictum VOBIS deuinatumque tenetis? Quod itaque magis mihi est agitandum, quam ne omnium, qui beneficiis VESTRIS ornati sunt, videar ingratissimus? Ut igitur huius animi mei erga VOS reuerentiae, in scholaftico quoque curriculo exstaret monimentum, disputationem exiguum illam quidem, atque VESTRIS Nominibus amplissimis indignam, censu VOBIS consecrandam. Non dubito, fore, vt eamdem benignissima sitis fronte excepturi. Vnum deinceps id factitabo, vt dignior idem tidem, digniorque in dies VESTRA sim gratia. Huic memet ipsum commendo tradoque; veniamque rogo supplex, vt consentientibus VOBIS profiteri me possim

PER ILLVSTRIS, EXCELLEN-
TISSIME DOMINE
ILLVSTRIS, AMPLISSIME DOMINE,
MAECENATES INDVLGEN-
TISSIMI,
VOBIS
CAROLVS OTTO PLESMANN.



PROOEMIVM.

Præcipuam curæ ac laboris partem per ultimum in cœnobio Bergensi exactum semestre in eloquentiam confixi. Huius ubi præcepta a præceptore clarissimo accepi: rationem earum ex natura animæ peruidendi engens animum subiit cupiditas. Eodem fere tempore cum Disputationem exarandi publici iuris faciendam ab auctoribus vita meæ rationum, onus esset impositum: tantum abstuit ut ab semel capesito labore fuerim auersus; ut potius effici non potuerit, quin eam ipsam rem cura intentiori persequendam hacce Disputatione sumiserim. Neque vero illa indigna res videbatur, in quam omnes ingenii ætatisque neruos intenderem. In tractanda vero hac causâ ita versor, vt a §. I. ad IX. in euoluenda Oratoria & agnatorum terminorum notione distinear: a §. X. ad XVI. generalia quædam ad Orationem pertinentia eruere allaborem: a §. XVII. ad XXXVI. de descriptione agam a §. XXXVII. ad

* (2) *

LVIII. de probatione nonnulla excutiam: a §. LX. ad LXXX.
de illustratione quædam præcidam: a §. LXXXI. ad XCV. de
adfectibus in mouendo excitandis differam: a §. XCVI. ad
XCVIII. de Ordine quædam proferam: a §. XCVIIII. ad CXIX.
de vocabulis aliqua in medio ponam; & tandem de sermo-
ne & numero oratorio nonnulla expromam. Tempori
fuit inferuendum. Cuius cum breuitas plura ea de re dispe-
rendi copiam detraheret, quæ modo cunque potui, perbreui
expediui. Ceterum L. B. ea, qualia demum cumque sint, æqui
velim consulat bonique.

§. I.

Clare nobis repræsentamus, quando Charæcteres (notæ)
objeçto alicui distinguendo sufficiunt; si minus, obscure.
Si notas clare repræsentamus distincta rem repræsen-
tamus.

§. II.

Si repræsentamus nobis, agimus: actuamus enim acci-
dens. Cum ergo possimus nobis repræsentare; habemus
possibilitatem agendi. Possibilitas agendi est facultas; ergo ha-
bemus facultatem nobis res repræsentandi. Repræsentatio
non distincta est confusa. Cum repræsentatio tam confusa
quam distincta sit in nobis: habemus facultatem confuse & di-
stincta nobis repræsentandi. Prior, inferior: posterior, supe-
rior facultas cognoscitiva.

Ignoscat L. B. termino: possilitas, & pluribus, qui in se-
quentibus occurrent. Ignoscet benevolus: malevolum non
curo. Absurdum enim est, terminum reiicere, signum conceptus
alioquin egregium, ob eam solam rationem, quod eo Cicero for-
tasse non vñus sit. Confer si placet Praef. Excellent. Baumgarten ad
metaphysicam in fine.

§. III.

§. III.

Anima repräsentat sibi res, §. I. in iisque vel perfectionem percipit, vel imperfectionem. Quo posito ponitur perfeccio, bonum; quo posito ponitur imperfectio, malum est: hinc vel bona vel mala sibi repräsentat anima. Repräsentatio exsistit viua, si rem signo clarius repräsentamus. Si viue sibi bonum aliquis repräsentat, conatur illud producere; si malum, conatur oppositum ei producere per exper.

§. IV.

Conatus animæ perceptionem producendi dicitur appetitio. Si oppositum eius conor producere, auersor. Vtrumque antecedit idea, §. III. Quæ si est confusa: oritur appetitio & auersatio sensitiua; si distincta, tunc exsistit rationalis. Quia igitur possum appetere sensitiua & rationaliter §. II. III. habeo facultatem appetitiuam inferiorem & superiorem, vel voluntatem stricte sic dictam.

§. V.

Si anima adipetit, necessario eius sit ratio sufficiens. Repräsentatio adipetionis & auersationis rationalis ratio sufficiens, motiuum, sensitiuae stimulus vocatur. Si actuatur in anima nostra adipetio & auersatio dicitur moueri generatim. Strictius: si auersatio & adipetio est confusa §. III. Posta ratione sufficiente ponitur sufficienter rationatum. Actuatis ergo motivis in genere, & in specie stimulus, mouemur. Quoque plures erunt, quoque maiores, eo fortius mouebimur.

§. VI.

Quum repräsentato signo repräsentetur signatum; & priori quidem clare, etiam posterius Met. §. 669. (quod etiam ex natura signi & signati patet): per signa possimus in alio producere repräsentationes. Quum vocabulum sit signum
B 2 repræ-

repräsentationis, (per definit): per vocabula possunt in alio produci repräsentationes. Hinc stimuli etiam & motiva: si fuerint signa repräsentationum boni & mali clara & distincta §. V.
III. IV. hinc possumus alios per vocabula mouere §. V.

§. VII.

Qui habitu gaudet alium mouendi per vocabula, est eloquens. Scientia ipsa dicitur eloquentia. Eloquens, si vocabula proponit in metro (i.e.) ut sit accuratissima longarum syllabarum ac breuium auribus placens coniunctio, existit poeta. Si minus Orator. Eloquentia sine metro est Oratoria; & Oratio strictius dicta est series vocabulorum connexorum mouentium. Oratoris itaque est mouere.

§. VIII.

Congruit haec nostra definitio tam cum vsu loquendi communi, quam inter eruditos recepto. Illum dicunt eloquentem, qui excitare potest affectus. hinc illi usurpantur eloquentes, qui ex iisdem modo lacrymas elicere, modo risum iis mouere possunt. Euoluat iam mecum L. B. conceptum tam affectum, quam risus & lacrymarum: optime cum definitione mea conspirare inueniet. Adfectus vocamus appetitiones & auerstiones fortiores sensituas. Illae non possunt esse sine stimulis, §. V. qui ergo excitat affectus, mouet §. eod. Lacrymæ sunt plerumque signum maioris tristitiae, vt risus plerumque lætitiae. Saltem negari non potest, esse effectum affectus vehementioris. Patet itaque definitionis nostræ cum vsu loquendi consensus. Vtrum vero nostra definitio cum vsu inter eruditos recepto consentiat, breui apparebit. Audiamus celeb. Gottsched. ausführliche Rede, Kunst Cap. I. §. IV. Ein Redner fordert mehr von seinen Zuhörern. Man soll lieben und hassen, zürnen und meiden, frolocken und trauren, hoffen und fürchten, suchen und fliehen. Si iam cogitemus celeb. Gottsched.

sched. mentionem facere adfectuum vehementium; & perpendamus ea, quæ anteā dicta sunt: liquido constabit: Oratorem esse eum, qui habitu gaudeat alios mouendi per vocabula metri expertia.

Et in eo quidem solo elaborandum Oratori est. Seio esse, qui requirant, ut Orator alios certos de sua reddat sententia, vel saltem eam probabilem faciat. Sed vehementer falluntur illi ipsi, si qui sunt, qui ita existimant. Confuetudo hæc quidem ei tribuit, sed ratio & natura detrahunt. Habitus certum aliquem reddendi petendus ex logicis est: sicuti pars est logicæ probabilitum, probabiliter de re qualibet dicere. Neque hæc magis ad oratoriam pertinent, quam si illustrationes ad logicam reuocare velis, quas tamen ad oratoriam pertinere reieci quovis errore constat.

§. VIII.

Orator minimus esset, qui vnicam minimam adipititionem vel auersationem, in vnico, qui facillime mouetur, representationibus, quæ in se fortissime mouent, aetuat. Quo plures ergo, quo maiores adipitiones, in plurimis, representationibus, quæ in se non magnopere mouere evidenter, aetuare potest, hoc maior est.

Hæc si tentatur mensura, in plano positum erit, plures non esse oratores, quamvis ab aliis habeantur. In Oratoribus ecclesiasticis plerumque requiri solet eloquentia. Plurimorum vero, si ad hanc amussum exigatur, nulla erit eloquentia. Non consistit enim nisi in formulis loquendi quibusdam, verbis selectis & representationibus nonnullis secundum ordinem elegantem dispositis. Neminem mouent, nemini vitiorum dulcedinem excutunt. Potest is vlo modo dici oratur? Egregie Gottsched In loco excitato: Ein Redner ist also nicht zufrieden, wenn man ihn gerne höret; wenn man seine Schreib-Art lobet; seine schöne Gedanken, und sumreichen Ausdruck erhabet u.

B 3

§. X.

§. X.

Quoniam *et* mouere auditorem, sit per stimulus; §. V.
& eo magis mouemur, quo maiores sunt stimuli; §. eod. Sti-
muli vero sunt representationes claræ §. eod.; & claritas re-
presentationum obtinetur per attentionem, per def. attent: da-
bit operam Orator, ut attentum habeat mouendum.

§. XI.

Ordo est identitas in coordinatione, confusio identitatis
defectus. Quoniam ea, in quibus idem est, significatu latissi-
mo consentiunt, in confusione non erit consensus. Hinc imper-
feccio.

§. XII.

Quoniam imperfecta auersamur, §. III. IV. & ad ea, quæ
auersamur, nolumus attendere; cauebit Orator, ne sit confu-
sa oratio §. X. & XI.

Plures possunt reddi rationes, quare vitanda sit confusio. e. c.
ipsi Oratori confuse cogitanti difficilis erit inuentio representa-
tio-
num, & continuatio earumdem, & si recitanda fuerit, non facile
succurret series representationum.

Est quidem regula recentiorum, quæ suader gratam confusio-
nem (agreeable confusion) sed in hac confusione maximus est
ordo. Quid sub illa intelligendum sit, infra ostenderetur.

§. XIII.

Quia oratio mouet, §. VII. actuat stimulus, §. V. &sti-
muli illi erunt rationata Orationis, §. VII. quod habet multa ra-
tionata, est secundum. Oratio ergo sit secunda. Quo enim
plures, quo maiores actuat stimulus: eo perfectior est Oratio,
§. VII. V.

§. XIV.

In themate eligendo, seu representatione, quæ est ratio,
quare

quare reliquis omnibus vtatur; rationem habebit orator momenti eiusdem, §. XIII. & si mouendo non videatur, magnum persuadeat illi.

Utramque, potissimum vero posteriorem regulam commendat Cicero in libro ad Herennium.

§. XV.

Ad ea, quæ admiramus, & noua sunt, in primis attendimus. Thema ergo oratoris sit, quoad eius fieri potest, nouum & admirabile, §. X.

§. XVI.

Traetatio est complexus propositionum proprius ex reliquis cum Themate connexarum. Hinc traetatio & ipsa sit noua & admirabilis, §. XV.

§. XVII.

Tres solent constitui repræsentationum, orationem ingredientium classes. Prima continet descriptionem, quæ in eo versatur, ut extensiuæ clara reddatur repræsentatio, multitudine scilicet notarum. Secunda probationem, rationem certitudinis. Tertia Illustrationem, quæ consistit in iis repræsentationibus, quæ aliunde petuntur, ut fiat repræsentatio clarior. Singulari faciant in oratione ad mouendum auditorem, §. VII.

§. XVIII.

Orator mouens actuat appetitionem & auersationem. Quæ cum non existat, nisi præcedat cognitio viua §. III. rerum, quas vult adpetant vel auersentur mouendi: producat in iis cognitionem viuam.

§. XIX.

Viua cognitio existit, si signatum signo clarius cognoscimus, §. III. Quo ergo plura nobis clare repræsentamus in possibili varia, eo magis viua fiet repræsentatio. Repræsentatio clara plurium variorum vocatur descriptio. Hinc describet orator.

tor. Describens quam potest, plurimorum variorum in mouendo producat representationem.

§. XX.

Quo plura varia, partes representationis actualies, mihi repræsento: eo est representatione extensiue clarior. Sensatio est representatione præsentium, hinc actualium, hinc omnimode determinatorum. sensatio ergo in se erit reliquarum representationum clarissima extensiue.

§. XXI.

Per phantasiam reproducimus, i.e. ex obscuris nobis antea, claras nobis reddimus, quas habuimus, sensationes. Reproducta sensatio dicitur phantasma. Phantasmata ergo erunt post sensationes clarissima §. XX. quo plura itaque, quo clariora actualiatur phantasmata stimuli: hoc maior adpetitio & auersatio, §. V. Orator igitur describens actualabit in mouendo plura clarissima phantasmata, §. XVIII.

§. XXII.

In describendo conceptu communi ad plura illa, in quibus idem repræsentatur, attendendum est, ut exsistant phantasmata §. XXI. Cum vero omnia, quæ in illis obseruantur, non faciant ad explicationem representationis, illa tantum sumet, quæ fini sunt conuenientia. Diuidet ergo representationes: & cum diuidentes sibi repræsenterent, quatenus constituunt totum, combinabit. Diuisio & combinatio phantasmatum cum sit fictio: finget orator.

§. XXIII.

Quæ impossibilia iudicamus, non adperimus. cauebit itaque sibi Orator a representationibus impossibilibus, & fingens non combinabit phantasmata, quæ implicant.

§. XXIV.

Impossibile vel est absolute vel hypothetice impossibile.
Fictio.

* (9) *

Fictiones hinc erunt vel in se, vel extrinsecus impossibilis. Quæ in se sunt impossibilis sunt fictiones vtopicæ vel chimærae, quæ in hoc mundo sunt impossibilis, sunt fictiones heterocosmicae. Veramque fictionem & vtopicam & heterocosmican vitabit Orator §. XXIII.

§. XXV.

Similia sunt eadem respectu qualitatum. Cognita ergo qualitate C. in A. cognoscetur etiam in B, simili τῷ A. Si C. fuerit sensum in A: poterit esse phantasma, si repræsentamus nobis B. Cum phantasmatu sunt characteres optimi §. XXI; in describendis iis rebus, quas sentire non possumus, petemus characteres a similibus quas sentimus.

§. XXVI.

Characteres cum esse plerumque debeant phantasmatu §. XXI. In describendis quæ sensibus immediate obvia non sunt, elegantur notæ, quæ a sensibus percipi possunt. Quæ cum plerumque sint rationata eorum: petentur characteres a rationatis rerum non immediate sensibiliuum.

§. XXVII.

Per fictionem possumus nobis repræsentare quædam non sensibilia tanquam personas. Cum fictio fiat per combinacionem phantasmatum: erit hæc repræsentatio rerum non sensibilium oratori conuenientissima. §. XXII.

§. XXVIII.

Determinationes vel in ente in se spectato, vel non nisi in nexu cum aliis extra illud possunt repræsentari: illæ internæ, hæ externæ, vel relationes nuncupantur. Internæ vel sunt internarum reliquarum rationes, illæ sunt essentialia: reliquæ adfectiones. Adfectiones, quæ sufficienter per essentialia determinantur, sunt attributa; quæ minus, modi, (accidentia prædicabilia).

C

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Complexus essentialium est essentia (possibilitas interna). Complexus determinationum internarum præter essentiam in aliquo compossibilium, dicitur actualitas.

§. XXX.

Possibilitas entis soli intellectui, obvia est: existentia potest in quibusdam etiam esse sensibus. Modi ergo esse possunt phantasmatum §. XXVIII. XXIX. XXI. Quum phantasmatum fini Oratoris maxime respondeant: §. XXI. modos præferet orator essentiæ in descriptione.

Quum oratoris sit mouere per stimulos, & modi interdum sint clarissimi: adhibebit eos in descriptionibus. §. V.

§. XXXI.

Repræsentata idea partiali, repræsentatur eius totalis. Hinc repræsentata vna relatione, repræsentantur reliquæ relations ideaæ totalis partes. Facient ergo ad claritatem extensiuam. Hinc possunt fini oratoris sèpius congruere, §. XIX. Orator ergo in texet descriptionibus relationes, cum quibus fecundissimæ vna repræsentantur. §. XIII.

Logicus essentialibus, attributis, modorum possibilitatibus in definiende vitur, non relationibus, argue modis. ex quo quod logicum inter & oratorem interfit, in illustri positum est.

§. XXXII.

Characteres sunt alii aliis fecundiores, i. e. plura de re & maiora repræsentant. Quo plura quo maiora repræsentant: hoc fini sunt convenientiores §. V. Orator itaque circumspicit, & inserat characteres fecundissimos.

§. XXXIII.

Quum multa obscure adpetamus & auersemur, i. e. habeamus instinctus & fugas; instinctus vero & fugæ interdum sint

sint fortissimæ: operam sedulo nauabit orator, vt instinctus excitet & fugas, fini conuenientes.

Quam fortes sint instinctus & fugæ declarabit fame & siti confessus. Appetitus enim ille fortissimus comedendi & bibendi ex obscuris oritur representationibus.

§. XXXIV.

Quædam nota propius connectuntur cum instinctibus & fugis: vt representatis iis, hiquaque orientur. Quæ cum in primis fini oratoris faueant, §. XXXIII. ab illo adhibeantur.

Huc pertinent characteres, quibus vtitur Virgilius in describenda Didonis morte, potissimum in Lib. Æneid. IV. versu 688. &c.

Illa graues oculos conata attollere, rursus

Deficit

Ter se se atrollens, cubitoque innixa leravit:

Ter reuoluta toro est, oculis que errantibus alto

Quæsiuit ccelo lucem, ingemuirque reperta.

Perspicuum cuius ex hoc loco erit, res circumstantes, cetero-
quin minutæ, cum vehementissimi sp̄iūs instinctibus & fugis
coniunctas, longe fortissimas esse.

Non mirabitur lector, quod exemplum ex poëta depromserimus. Est ille eloquens §. VII. Si vero querit oratorem, cuius exemplo nos tueamur, euoluat summe Reverendi Moshemii orationem de meditatione mortis.

§. XXXV.

Quod per communes certi ordinis, regulas non determinatur, dicitur extraordinarium. Extraordinaria cum miremur; iisque moueamur: utatur orator characteribus extraordinariis.

Quod extraordinaria miremur, ita in aprico est ex experientia, vt sanus de eo dubitet nemo. Ratio eius ex animæ natura petenda erit. Extraordinaria, quoniam per regulas communes non determinantur, iudicamus, communes regulas cogitantes, impossibili-
lia. Quæ cum videmus actualia: oritur admiratio.

C 2

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Commemoratio eius, quod est extraordinarium in charactere, dicitur meditatio (pensée). Quæ, cum excitet admirationem; faciatque ad mouendum, per anteced.: ab oratore adhibebitur.

Galli in primis delectantur meditationibus, in iisque inueniuntur sicut felicissimi. Ponunt in eo suum acumen (son bel esprit). Sane ratio meditationum ex ingenio repetenda est. Ingenium est facultas animæ conuenientiam & discrepantiam rerum obseruandi. Quo maius ergo illud: hoc felicius res distinguuntur. Extraordinaria, cum differant ab ordinariis, ab ingeniosis facilime obseruantur.

Ex his quæ disputata iam a nobis sunt, obseruandæ regulæ in effingendis meditationibus, cuius illucēscunt. Quo magis extraordinarium; quo difficultius obseruatur; quo clarius obseruatur detectum: eo perfectior meditatio.

Neque minus patebit attendenti quare plerumque figuris solent exprimi. Cum enim contineant extraordinaria, requirent sermonem extraordinarium (quod ex iis, quæ infra dicentur, intelligi poterit). qui cum sit figura: figuris facile includentur.

§. XXXVII.

Si ex rationibus repræsentatio repræsentatur, probatur. Si sufficenter, demonstratur: Si minus, probatur significatus strictiori.

§. XXXVIII.

Cum demonstratio sit sufficiens probatio: §. XXXVII. rationes erunt sufficietes, & repræsentatio ex rationibus distincta.

§. XXXVIII.

In demonstratione est repræsentatio demonstranda in nexu cum ratione sua; est enim rationatum: et nexus ille distincte repræsentari debet. §. XXXVII. Ad capiendam ergo demonstrationem, requiritur facultas cognoscitua superior. §. II.

§. XXXX.

§. XXXX.

Orator cum possit mouendum mouere; quamvis non demonstret, §. V. XXXIX. non requiretur ab eo necessario demonstratio §. XXXVII.

Mirabitur fortasse L. B. quod hanc tueri audeamus propositionem: In primis, cum oratores, artis nostræ contradictoriam defensum eant. Sed desinet profecto mirari, si cogitauerit finem oratoris, perpenderitque, quantum scientiæ confusio earum atque permixtio adserat detrimenti. Logices enim propria, reuocabimus, credo, ad oratoriam? Neque magis pertinent ad oratoriam regulæ de actuanda in aliis cognitione probabili. Divergæ enim sunt ex logica probabilium. Quid ergo? dicet aliquis, orator non tractabit locos theoreticos in quibus non propriæ agitur de mouendo auditore? Nos huic sententie minime repugnabimus. Omnes autem erroris nostri socios habemus qui timem oratoris rite penitauerint. Si Thæma certum reddit, est Logicus: si probabile, est dialecticus, significatur Aristotelico.

§. XXXI.

Quoniam non adpetimus, nisi sub ratione boni; nec auersamur, nisi subratione mali; vniuersque possibilis §. XXVII.: operam dabit orator, vt mouendus cognoscatur, esse bonum vel malum; certumque reddet illum, quod possit obtineri bonum, & vitari malum.

§. XXXII.

Cum itaque orator interdum certum aliquem reddere debeat mouendum, §. XXXXI. idque fieri sine rationib[us] non possit: probabit. §. XXXVII.

§. XXXIII.

Ad quod plures requiruntur vires, difficile: ad quod pauciores facile, est. Probatio erit conceptu facilis, si ad inspiciendam rationem, eiusque cum probando nexum, minor animæ vis requiritur; si maior, erit difficilis.

C 3

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Cum vis animæ sit vñica tantum: non poterit eodem tempore alia ratione determinari, quam determinatur. Aucta itaque claritate intensiuæ, minuitur extensiua.

Veritatem huius propositionis confirmabit experientia. Nominis ex exemplo Neutonis, quod acerbissimos capitum dolores demonstratione vel calculo difficultiore pellere potuerit. Quod si ergo representationes potuerunt claritate sua intensiuæ obscurare sensationes, quanto facilius fieri in phantasmatis? §. XX.

§. XXXV.

Oratoris est, producere in mouendo claritatem extensiua §. XIX. sed claritas intensiuæ impedit extensiua §. XXXIV. Caebit itaque sibi orator, ne producat nimiam claritatem intensiuæ in mouendo.

§. XXXVI.

Quo difficilior est probatio; hoc maior requiritur vis. Hinc, cum concipiatur probatio per intellectum significatu strictiori: §. XXXVIII. in probatione difficiliori maiore opus erit claritate intensiuæ. Quæ cum sit fini Oratoris contraria, §. XXXXV. cauebit sibi orator a probationibus difficilioribus.

§. XXXVII.

Probatio, quoniam continetur ratione, & representatione ex ratione §. XXXVII: vitabit orator rationes difficiliores, ad quas adpercipiendas maiore vi opus est, & combinationem demonstrandi cum rationibus difficiliorem. §. XLIV.

§. - XXXVIII.

Rationes de prompta ex certis cognoscendi principiis sunt plerumque reliquis faciliores. Orator cum debeat eligere rationes facilissimas, desmet ex principio cognoscendi determinato, e. g. ICtus ex corpore iuris: Theologus ex SS. &c.

Non possum fatis mirari saeculi nostri mores. Suficit haec aetas nostra orationes sacras, quarum propositiones ex ratione euia-

euincuntur. Næ illi finem oratoris ignorant, quæque ipsi vel respondent, vel repugnant. Maxima auditorum pars sunt homines rationum philosophicarum expertes. Quibus si difficultis obiicitur demonstratio: aut intelligent eam, & non mouebuntur; aut non intelligent, & tunc fine suo excidit oratoris sermo. Erunt ii logici, metaphysici, modo ne vocentur oratores.

§. XXXXVIII.

Propositiones identicæ, quarum veritatem terminis tantum intellectis cognoscimus, erunt rationes intellectu faciles. §. XXXXIII. hinc ab oratore querendæ. §. XLVII.

§. L.

Propositiones per experientiam certæ, cum facili intelligentur negotio: erunt rationes oratoris fini maxime consenteæ §. XXXXIII. VII. hinc eligendæ.

§. LI.

Cum posita actualitate ponatur possiblitas; & cognita actualitate facile cognoscatur possiblitas: Orator in probanda possibilitate circumspiciat actualia.

§. LII.

Rationes adducendæ interdum mouent: aliae vero magis, aliae minus. quæ magis mouent, fini oratoris sunt conuenientiores §. VII. rationes igitur ab oratore adducendæ, maxime moueant.

§. LIII.

Rationes, quæ a phantasia simul percipiuntur, quoniam extensiuæ clariores sunt illis quæ a solo intellectu adpercipiuntur; §. XXI. merito ab oratore præferuntur, §. XIX.

§. LIV.

Cum orator probet, vt moueat §. VII. XLI: in eiusmodi rationibus, quæ huic fini conueniunt, conquiescere poterit. Quæ cum sepius sint insufficientes: Orator mouens poterit vti rationibus non sufficientibus.

§. LV.

Quoniam præjudicatae opiniones vehementissime sæpius mouent: vti poterit iis orator mouens.

Quæritur hoc loco, licetne Auditori, rationibus vti, quas ipse insufficienes vel falsas cognoscat. In vtramque partem disputatur. Sunt, qui adfirment: nec desunt qui negent. Viderur autem tantum esse logomachia rite enim constituto quæstionis principio, omnis illico euanescent controværsia. Si quærimus: an orator, vt orator §. VII. iis vti possit: negari non posse videatur, modo mouant. Cum enim finis sit oratoris, vt moueat; omnia, quæ ad hunc consentiunt, tanquam ad vnum determinans, erunt quoque bona. Quin in maximis Oratoribus, quod iis fuerint yfi, mirari solemus. Petamus & Cicerone exemplum, vbi de erec̄to Jouis simulacro dicit, tum, cum captiuo ex itinere retracti per forum ducerentur. Probaturus erat, rem non esse factam sine nro diuino. Argumenta sumit a restituendo simulacro Jouis, quod ccelo tactum fuerat. Satis ipsi constabat, rationem omni omnino destitutam esse fundamento, quod ipse testatur libro II. de Diuinatione. Fini interim erat conueniens ratio: cum esset phantasina; auditoresque haberet per quam superstitiones. Si contra quæritur: licitumne sit oratori, qui simul erudire, certam & diffinētam in auditoribus actuare debet cognitionem (vñus enim hoc imposuit quibusdam oratoribus) falsas eiusmodi rationes admouere auditoribus: neganda erit proposicio, sicuti enim antea fini suo aderat orator, sic hic deerit. Non solum nullus consensus, sed & dissensus cum fine, hinc imperfectione erit contrarie dicta, maximopere vitanda oratori. Occurritur autem: si h̄c oratori per rationes falsas præcipitem dare ad sensum auditorum: suo iure possent homines peruerſi infucata sua, oratione ad grauissima impellere scelerā. Videat autem is, ne fallatur, queſo, qui ita statuit. Quamuis licet per oratoriam: numquid licebit per ethicam, tam christianam, quam philosophicam? Leges methodi mathematicæ peruerſa a Spinoza in Ethica sua sunt applicatae: quis vero ab eam rationem eas reiiciet? In eadem causa h̄c res reponenda est. Oratoribus per oratoriam, vti per-

permittitur rationibus insufficientibus & erroneis, dum mo-
veant: ethica prohibet, quo minus iis vtamur, ad pertra-
hendos homines ad ea, quæ turpia sunt & flagitiosæ.

§. LVI.

Testimonia magni viri sufficere interdum probandæ ab
oratore propositioni possunt. Poterunt itaque esse argumen-
ta: hoc meliora; quo magis perspecta dexteritas eius est atque
integritas.

§. LVII.

Præmissæ solæ cum neminem reddant certum, nisi etiam
modus pateat, quo deriuatur ex principiis conclusio
§. XXXVII: orator præmissas cum conclusione ita conne^{ctat},
vt hæc ex illis pateat. §. XXXI.

§. LVIII.

Cum sterile & aridum sit in oratione, quod non mouet:
ab eo cauebit sibi orator §. VII. Modus, quo Logici demon-
strationes suas proponunt, est admodum sterilis; fugiet ergo
hunc orator.

Non loquimur hic de forma Logica. Hanc sequatur, i. e.
dabit operam, vt conclusio ex præmissis rite fluat: modum ve-
ro, quo vtur Logici in ostendenda conclusione cum præ-
missis convenientia, vitabit orator.

§. LVIII.

Omne illud, quod accedit ad faciendam repræsentationem
extensiæ claram, dicitur Illustratio. Necessaria ergo oratori
illustratio. §. XIX.

§. LX.

Exemplum significatu latiori, est conceptus inferior, seu
magis determinatus, ad declarandum superiorem, seu minus de-
terminatum positus. Qui si fuerit omnimode determinatus,
dicitur exemplum significatu strictiori.

D

§. LXI.

§. LXI.

Quoniam in inferiori plura sunt determinata, quam in superiori: faciet repräsentatum ad augendam claritatem extensiuam. Exemplum ergo erit illustratio §. LVIII. hinc usurpandum.

§. LXII.

Ens singulare, quia est omnimode determinatum, plurimas habebit notas; & dabit repräsentatum claritatem extensiu maximam. Exemplum ergo omnimode determinatum, seu significatu strictiori §. LX. reliquis erit præferendum.

§. LXIII.

~~Exempla~~ Exempla, quæ non nisi obscure repräsentantur a mouendo, fini oratoris non respondebunt. §. VII.

Fit illud, si exempla sumuntur de iis rebus, quæ prorsus sunt ignoræ auditoribus.

§. LXIV.

Quæ sentimus, cum plerumque sint clarissima, §. XII. XX: Orator depromat exempla ab iis, quæ sentit movendus.

§. LXV.

Sensa alia aliis sunt clariora. Quo clarius sensum, hoc convenientius exemplum. §. VII. XIX. Orator itaque iis illustrabit exemplis, quæ sunt clarissime sensa.

§. LXVI.

Quædam phantasmatum cum possint esse clariora sensatiōnibus: præferentur ab oratore sensationibus minus claris. §. XIX. hinc exempla, quæ sunt phantasmatum perspè clariora ab oratore usurpanda.

§. LXVII.

Phantasmatum recens sennorum, cum sint plerumque clarissima: exempla erunt eo meliora, quo recentiora.

§. LXVIII.

§. LXVIII.

Exempla, phantasmatu olim sensorum, clariora recentibus, his erunt præferenda. §. XX.

§. LXVIII.

Quemadmodum omnes repræsentationes hoc conuenientiores oratori sunt; quo vehementius movent: §. V. VII. sic etiam exempla.

Quæ odiimus, ea auersamur, hinc minime imitabimur.
Exempla ergo, quæ moueant nos ad adipetendum, cauendum,
ne fint odiola atque inuisa.

§. LXX.

Simile est repræsentatio diuersæ speciei, eius, cuius simile est, similis. Quoniam similia se inuicem determinant: §. XXXV. augebit simile claritatem extensiua. §. XX. similia ergo erunt illustrations. §. LIX.

§. LXXI.

Quæ nos obscure tantum cognoscimus, non possunt nobis esse similia. §. LXX. Orator itaque adhibeat similia a mouendo repræsentabilia. Quæ hoc erunt meliora: quo clarius percipiuntur.

§. LXXII.

Quo plura sunt in qualitatibus eadem: hoc major est similitudo; hoc plura determinantur. §. LXX. Orator ergo eliget similia, quæ plurimas determinant inter se qualitates. §. XX. LXII.

§. LXXIII.

Complexus determinationum earundem in similibus vocatur Tertium. Reliquæ nihil faciunt ad attingendam claritatem extensiua. §. LXX. Similia ergo ab oratore non extenderuntur ultra tertium. §. cod.

§. LXXIV.

Similia in quibus nobis facilius repräsentantur, quæ fini oratoris repugnant, quam quæ conueniunt, dicuntur absurdæ. Similia absurdæ itaque vitanda sunt ab oratore.

§. LXXV.

Propositio practica est, quæ enunciat aliquid esse agendum, vel omittendum. Locus communis est propositio practica communis.

§. LXXVI.

Loci communes; quoniam sunt propositiones communes §. LXXV; abstractæ ab iis repräsentationibus, cum quibus coniunguntur, poterunt rem illustrare: si idem repräsentatur in pluribus, quæ clarius repräsentamus. Erunt ergo illustrationes §. LIX; hoc meliores; quo clariorem faciunt repräsentationem.

Non posuimus, quod semper id fiat. Poteſt interdum vero fieri. Pone tibi quinque notas in A. succurret tibi fortasse per legem imaginationis C, cuius erunt quinquaginta notæ. A ergo erit clarius factum extensiu.

§. LXXVII.

Quibus lux nouitatis dudum decessit, displicant plerumque. Communes ergo loci triti atque decocti impediunt attentionem, in mouendo necessariam; §. X. fugiendi ab oratore.

§. LXXVIII.

Quæ nobis non sunt exspectata, habent plerumque lumen nouitatis, saltem respectiuam. Loci ergo communes non exspectati placebunt: ab oratore quærendi.

§. LXXVIII.

Nimia locorum communium multitudo, quoniam plerumque displaceat, oratori erit fugienda.

Supereffet, ut de conſectario, testimonio, & meditationibus

bus diceretur. Consectaria vero non differunt multum a locis communibus, eo potissimum significatu, quo nos vni sumus. De Testimonis actum in doctrina de probatione §. LVI; de meditationibus vero in doctrina de descriptionibus. §. XXXVI.

§. LXXX.

Adfectus sunt fortiores, i.e. extraordinarie mouentibus representationibus actuata appetitiones, vel auersationes sensitivæ. Eas, qui producit in aliquo, excitat adfectus. Orator cum moueat per stimulos, §. V. VII. & orator maximus maxime moueat: excitabit in mouendo adfectus.

§. LXXXI.

Cognitio sensitiva est confusa, i.e. non distincta. Confusa cum sit clara; & claritas hoc maior sit, quo plures sunt notæ; voceturque extensiva §. XIX; Orator excitatus adfectum producet in mouendo cognitionem sensitivam extensiuam claram.

§. LXXXII.

Quo plura representationem aliquam ingrediuntur, eo viuidior est. Quo plura ergo intuitum boni vel malii, hoc vividior. Quæ ingrediuntur intuitum agunt seu mouent. Quo magis mouet, hoc est representatione fortior §. LXXX. Intuitus ergo viuidus erit fortis. Orator ergo adfectus excitatetus excitet intuitus viuidissimos.

§. LXXXIII.

Quidquid auget voluptatem & tedium, auget appetitum; ex cognitione sensitiva, sensitivum; fortiori, fortiorum; §. V. hinc adfectum.

§. LXXXIII.

Voluptas & tedium oritur, vel ex simplicis perfectionis, & imperfectionis intuitu, vel ex composita: illa voluptas & tedium simplex, haec composita est.

D 3

§. LXXXV.

§. LXXXV.

Quo maior intuitus boni & mali; hinc voluptas & tedium: eo maior adipitus & aueratio. Composita voluptas vel tedium quum sint plerumque maiora §. LXXX: excitant adpetitionem & auerfactionem sortiorem. Quæ si fuerint sensitivæ, erunt affectus. § eod. Excitaturus affectus producit in mouendo voluptatem, & tedium compositam.

§. LXXXVI.

Orator excitaturus affectum producat in mouendo intuitus viuidissimos. §. LXXXII. Quo viuidior fuit in ipso intuitus: hoc viuidiorem producere poterit in mouendo. Orator ergo, eodem affectu commotus, eumdem facile excitare in aliis poterit.

§. LXXXVII.

Cum vocabulis excitandi sint affectus. §. VII. viuidum debent in mouendis intuitum producere. §. LXXXII. Hæc vocant prægnantia. Adfectus itaque commoturo prægnantibus opus est vocabulus.

§. LXXXVIII.

Anima humana, quæ viuidum habet intuitum, illum designatura, vocabula eliger prægnantissima §. LXXXVII. hæc excitabunt affectus. §. LXXXII. Rursus hinc patet, quare necesse sit, ut ipse orator sit in affectu constitutus. §. LXXXVI.

§. LXXXVIII.

Anima humana agit in corpus repræsentationibus suis conuenienter. Viudi intuitus, quoniam vehementer agent in animam §. LXXXII; vehementer agent in corpus. In oratore ergo, in quo excitatus est affectus, motus erit corporis vehemens intuitui conveniens.

Liquido hoc confat ex experientia.

§. LXXX.

Oratoris anima affectu quodam exagitata, cum producat

cat motus corporis repræsentationi conuenientes, §. LXXXIX.
determinantur hi per illam. Quæ se determinant, horum
vnum ex altero poterit cognosci. Poterunt itaque peractio-
nem oratoris, vel complexum motuum corporis sermoni
conformiter excitatorum, repræsentationes excitari intuitui
respondentes. Quæ cum faciant ad viuiditatem intuitus.
§. LXXXII. augebunt affectus. Ex quo denuo patet, quare
affectus in oratore, affectus excitatur, sit necessarius.

§. LXXXI.

Repræsentationes bonorum & malorum in aliis magis,
in aliis minus viuidæ sunt. Orator itaque excitatur ad af-
fatum, perquiret, quænam repræsentationes mouendo sint vi-
vidissimæ. §. LXXXII.

Orator ergo, qui instructus est habitu diuinandi, quibus-
nam repræsentationibus hic vel ille moueatur, facilime mo-
vebit affectus.

§. LXXXII.

Cum repræsentationes animæ naturales omnes sint inter
se connexæ; aliæ magis, aliæ minus: erunt etiam affectus
in nexus. Qui in nexus propiori sunt, excitant se intūicem.
Orator ergo excitet affectus, affectus primarii, quem actu-
re vult, rationes.

Possunt hi interdum videri contrarii. Qui cum excitan-
tur, videntur repræsentationes repugnare ordini, de quo in-
fra. Et est confusio adparens. Hæc in primis vocari videtur
l' agreeable confusion: quamvis non sola hanc confusionem
gratam conficiat.

§. LXXXIII.

Orator affectum excitans, vult ut agat mouendus. Quod
oratione finita fieri plerumque solet. Maximus affectus ma-
xime agit. Maximus ergo affectus circa finem orationis exci-
tabitur.

tabitur. Fortissimæ ergo & viuidissimæ tum demum excita-
buntur repræsentationes.

§. LXXXIXIIII.

Adfectus vbi in anima gradum maximum adsecuti sunt:
decrescunt postea, accedentibus aliis repræsentationibus, quæ
hos obscurant.

§. LXXXV.

Quædam repræsentationes, si ex improviso repræsenten-
tur, vehementissime animum nostrum persæpe mutant: quæ-
dam non agunt nisi præmissis aliis. Orator ergo vtra via in-
grediatur rite calleat.

§. LXXXVI.

Ordo in oratione necessarius, §. XI. XII. est vel sim-
plex, vel compositus. Simplex, si vna ordinis regula fuerit;
compositus, si plures. Compositus, quoniam est perfectior
simplici, per princ. metaph: in coordinandis repræsentationibus
erit anteferendus.

§. LXXXVII.

Si coordinatio repræsentationum determinatur per natu-
ram animæ, tam oratoris, quam mouendi, & rei: perfectior erit,
quam si per naturam vnius modo determinatur §. LXXXVI;
hinc ab oratore ita determinabitur.

§. LXXXVIII.

Per principium indiscernibilium cum hæc in infinitum dis-
ferant a se; certus ordo præscribi non potest. In ordi-
ne composito, quoniam interdum excipi debet ab aliqua re-
gula communi, orientur confusio, sed adparens. Quæ quoniam
admissa est, vt maior fiat perfectio, §. LXXXVI. grata
erit. Hinc confusio grata in oratione necessaria. Et quo
màior confusio grata: hoc perfectior.

Facile ex hoc cognoscet L. B. quid de Chriis statuendum
sit; quia in illis grata illa non est confusio.

§. LXXXVIII.

§. XCIX.

Vocabulum inane est, cuius significatus nihil est. Obscurum est, cuius significatus est obscurus. clarum, cuius significatus est clarus. Vocabulum inane, cum propositus non habeat significatum, obscurum, cum habeat significatum obscurum, non excitabit stimulos, §. V. hinc eo non poterit moueri mouendus. Orator itaque claris saltem terminis utetur §. VI.

§. C.

Obscuritas vocabulorum respectiva est, si vocabulum certo alicui cogitanti obscurum est. Abstinebit itaque orator a terminis, in respectu ad mouendum, obscuris. §. XCIX.

§. CI.

Vocabulum obscurum potest fieri clarum, si definiatur, per princ. log. Definiat itaque orator vocabula obscura, si quando illi iis opus est.

§. CII.

Vocabula quædam habent significatus a se inuicem diversos. Orator ea adhibiturus, eo sumat significatu, quo autumat sumi debere a mouendo per seriem repræsentationum: alias enim relatiue erunt obscura §. C. Quod si minus planum est, disiuitat. §. CI.

§. CIII.

Vocabulum, eum sit signum representationis: hoc erit melius; quo facilius signum, & quo plura in signato repræsentantur. vocabula ergo, quibus utetur orator, erunt optima.

§. CIV.

Pulchrum est, quod habet perfectionem phænomenon, i.e. quæ a sensibus obseruatur. in vocabulis pulchris ergo erit perfœctio. perfœctio viue cognita cum actuet voluptatem, §. IV. verba pulchra actuabant voluptatem.

E

§. CV.

§. CV.

Quæ actuant voluptatem, adipetimus. Attendet itaque mouendus ad vocabula pulchra: erit enim hoc maior voluptas. Orator ergo vocabula usurpet, quoad eius fieri potest, pulcherrima.

Perfectio quidem vocabuli potissimum consistit in conuenientia signi cum signato: obvia tamen persepe est quædam etiam in compositione vocabuli perfectio.

§. CVI.

Termini obsoleti, technici, noui, ex alia lingua, quam quæ nos vtimur, desumti, quando sunt mouendo relatiue obscuri: non debent adhiberi ab oratore, nisi antea definiti. §. C. CI.

§. CVII.

Plurimum regimur plerumque praconcepis opinionibus. Itaque dabit operam orator, ut magna sit ipsius apud mouendum au^toritas. Vocabula quæ non nisi ab infima plebe usurpantur, quoniam oratoris minuunt au^toritatem, si ea adhibuerit, per exper: erunt fugienda.

§. CVIII.

Vocabula, quæ adduntur conceptui ad significandam aliquam eius determinationem, dicuntur Epitheta. Quæ quoniam faciunt ad augendam claritatem extensiuam: Oratoris fini, erunt quam maxime consentanea. §. XX.

§. CIX.

Quo viuidiorem epitheta significant determinationem, eo erunt meliora. §. LXXXII.

§. CX.

Media, quæ abundant, quoniam sunt imperfæta, auer-sabimur. vocabula epitheta indicantia determinationem, quæ nobis repræsentato conceptu, cuius sunt epitheta, repræsentatur, abundant; hinc tadium in nobis excitabunt §. III. quod fini oratoris contrarium §. VII. X. Nisi forte velis, ut mouendus ad aliquod epitheton magis, quam ad reliqua attendat.

Gum

do non Cum omnes determinationes sint vel essentialia, vel attributa,
vel modi, vel relationes: essentialia & attributa rarissime erunt
epitheta. Determinantur enim per essentialiam conceptus sui. Mo-
di vero & relationes, erunt non solum frequentissima, sed etiam
optima plerumque epitheta. §. XXVIII. §. XXX. XXXII.

§. CXI.

Significatus vocabuli, si fuerit eius inueniendi finis prima-
rius, est proprius; si minus, impro prius dicitur. Vocabula,
quaे proprium habent significatum, propria: quaе impropri-
um, impropria nuncupantur.

§. CXII.

Quoniam orator mouet mouendum, efficiat, ut clare sibi
repræsentat bonum & malum §. V. & distinguat ab aliis. Cuius
medium cum sit vocabulum proprium, §. CXI. vtatur orator
propriis: in primis, vbi simul erudiens est.

§. CXIII.

Res de qua loquitur orator, potest esse noua. ad hanc
significandam, vocabulo opus est §. VII.: quod erit aut no-
uum prorsus, aut antea iam repertum. Nouum ob plura
incommoda non facile inuenietur: adhibendum itaque erit,
quod antea iam fuit notum. Hoc adhibito, cum exsistat vo-
cabulum improprium, §. CXI. vtitur orator vocabulo impro-
prio, antea, vero definito §. CI. CII.

§. CXIV.

Vocabula metaphorica, quaे usurpantur ob similitudinem
aliquam eius, cuius sunt propria, cum eo, cuius sunt im-
propria, quoniam augent claritatem extensivam §. LXX: fini
oratoris inferuent. §. XIX.

§. CXV.

Vocabula impropria metaphorica, §. CXIV. a rebus nobis
sensibilibus translatæ ad res non sensibiles, efficiunt, ut repræsen-
tationes fiant imaginationi obuiæ §. XX. XXI. §. XXXV. Quod cum sit
oratoris fini admodum consentaneum: §. XXI. adhibebit orator, in

primis in conficiendis descriptionibus rerum sensibus non obuiarum, vocabula eiusmodi impropria: obseruatis, quæ ad §. CXII. monui.

In primis hoc fieri poterit, in significando aliquo gradu rerum, non sensibilium. Admiranda sane est sapientia diuina in eligendis terminis inpropriis, in sacro codice occurrentibus, tam in significandis rebus non sensibilibus, quam in indicando earundem aliquo gradu, conspicua. Videamus de posteriori promissionem in quo illam insignem. Dein Friede soll seyn wie ein Wasser-Strohm, und deine Gerechtigkeit wie die Meeres-Wellen.

§. CXVI.

Adfectus oriuntur ex representationibus sensitivis? §. LXXX. & signa quibus utimur in affectu sunt prægnatissima & viuidissima. §. LXXXVII. LXXXII. termini impræi metaphorici, cum sint longe prægnantiores & viuidiores propriis: §. CXIV. CXV. ab oratore, affectu vehementiori commoto, adhibebuntur.

§. CXVII.

Ea, de quibus decepsit lux nouitatis, plerumque displacent; potissimum, si in locum eorundem noua possunt substitui. Vocabula propria, si semper essent adhibenda, quoniam amissura essent lucem nouitatis, displicerent. Cui incommodo, quoniam medentur impræi termini, in locum proprietorum surrogati, ab oratore usurpabuntur, ut sit variatio.

§. CVIII.

Vocabulum improprium metaphoricum, quoniam adhibetur propter similitudinem: determinabitur per easdem de similibus regulas. §. LXX - LXXIV.

§. CXIX.

Coordinatio vocabulorum connexorum, dicitur genus dicendi. Quod planum & gratum erit. §. XCIX. CIV.

§. CXX.

Dicendi genus, si non determinatur per regulas communis Grammaticæ, est vitiosum. Quod quia est imperfectum, cum sit dissensus, mouendoque possit esse tædio, §. CX. vitandum est.

Sensus est repræsentatio eorum, quæ per vocabula conexa significantur. Qui incompletus est, si ad determinandum illum opus est alia adhuc repræsentatione: completus vero, si minus. Complexus vocabulorum, cuius sensus est completus, dicitur periodus: in qua dicendi genus erit planum & gratum. §. CXIX.

Periodi quando sunt longiores, plerumque sunt obscuriores. Quod cum repugnet §. antec: breuitati periodorum erit studendum. Breuitas est vel vitiosa, vel proba. Proba est si reliquis de dicendi genere legibus non repugnat. Hæc efficit, ut sermo sit compositus (wohlgefäßt).

Pleraque ergo connectendi particulae cum augeant magnitudinem periodorum, erunt repudiandæ.

Dicendi genus, quod naturæ repræsentationum non conuenit, non est naturale, sed adfectatum: quod conuenit, est naturale. Studebit orator naturali, & vitabit adfectatum, quia est imperfectum. §. XCVII.

Si res leues, atque minutæ, vocabulis grande quid sonantibus & sublimibus significantur orietur dicendi genus non naturale. §. CXXIII. Orator ergo ab eo abhorrebit §. eod.

Phœbus a Gallis, ab Anglis, vocatur Bombast.

Repræsentationes magna & fortiores, §. LXXX. nisi

significantur vocabulis, & genere dicendi extraordinario; orietur sermo non naturalis §. CXXIII. hinc grande quid sonantibus vocabulis, & figuris, quae sunt sermo per fortiorum representationem determinatus, sunt efferenda, §. eod.

§. CXXVI.

Adfectu commota anima quoniam extraordinarie agitatur, §. LXXX. loquetur in figuris §. CXXV. Sermo ergo eius, qui debebat esse in affectu, si fuerit periodicus, non est naturalis, §. CXXIII. hinc vitandus. §. eod.

§. CXXVII.

Cum ea a se diuelluntur, quae tam natura quam anima coniungit: orietur dicendi genus breve vitiosum §. CXXII. & vitabitur §. CXXIII. Qui ea econiungit, quae commode possunt separari, peccabit contra breuitatem probam. §. CXXII.

§. CXXVIII.

Genus dicendi, quoniam stilus est, significatu latiori: stilus oratoris sit planus, §. CXXIX. gratus, §. eod., compositus, §. CXXII. naturalis, §. CXXIII. neque humilis §. CXXIX. neque præter naturam grandis, §. CXXV, neque breuis nimis, §. CXXVII. neque nimium diffusus, §. ead. & tum vocatur stilus significatu strictiori.

§. CXXVIII.

Numerus oratorius est pulchritudo stili ex coordinatione longarum & breuium syllabarum. Qui cum fini oratoris admodum sit adcommodatus, §. CV. sedulo ab oratore quaerendus est. §. eod.

Regulae de actione facilissimo negotio ex phychologia a nobis possest derivari. Sed nimis iam excreuit disputatione, ut modum fere excedat. Manum ergo de tabula. Lectori Benevolo ipsi id relinquetur.

Vt

Vt *Mecenates*, atque rei literariae *Patroni*, *Fautores*, atque *amici*,
actui huic disputatorio interesse; Respondentem sua frequentia
excitare; atque orationes ultimas, quae simul habebuntur, bene-
voles audire velint, omni qua par est, humanitate rogamus. Sunt vero,
qui paedagogio nostro ultimum dictum sunt vale

- I. ERNESTVS FRIDERICVS OELZE, Bornsteda-Magde-
burgenfis: *de usu & abusu eloquentiae acturus* orat. lat.
- II. CHRISTIANVS FRIDERICVS SCHVLZER, Witt-
stocka-Prignitius, dicturus *de sapientia Dei in diuersitate*
sonorum conspicua, orat. germ.
- III. BENEDICTVS CLEMENS CLAVSWITZ, Martis-
burg-Misnicus; *Maiestatem DEI ex siderum splendore de-*
monstraturus, carm. germ. Hunc excipiet
- IV. IOHANNES CHRISTIANVS HOPPE, Friedersdorf-
fio-Lusatius; qui, vbi pauca *de amicitia scholastica* oda
germ. cecinit, abeuntibus gratulabitur discessum, auditio-
ribus debitas simul acturus gratias.

ORNATISSIMO RESPONDENTI

S. D. P.

PRAESES.

Vt has ad Te publice mitterem literas, & consuetudo, & mens in Te
postulauit amor. Mihi porissimum demandatum est, ut Tecum,
quam conscripsisti, dissertationem ab oppugnantibus defendarem: et mihi
non minus, quam collegis meis coniunctissimis, probasti morum honesta-
tem, ingenium ad liberales artes aptum, singularē in colendis optimis
literis industriam, & progressus in iis non mediocres. Quid enim pro-
ficeris, docet ex parte specimen, quod edidisti, & docebit, ut confido, ala-
critas, qua has theses publice defensurus es. Non mediocriter his de-
lectamur artibus tuis. Quorus enim quisque est, in quo illae una omnes
ad sint? Docuit enim nos, & docet flebilis experientia, illos, quos na-
tura armavit ingenio excitatiore, esse plerumque desides, luxuriosos,
moni-

monitorum contemptores, infrenes: vt eo magis amplectendi sint ii, qui cum ingenio alaci coniungunt mores honestos, industriam & obedientiam. Vt vero Te singulari complectimur benevolentia propter has artes; ita Te monemus, rogamus, obtestamur, vt animum, mentem, ingenium, omnesque tuas vires illi reddas, cui accepta refers. Ipse nolti, quam non sufficiat externa morum integritas; quam cuius opus sit interna animi mutatione. Hec ergo, vtria Te possit perfici, permitte animum gratia diuinæ: & ex voto fluent cuncta, quæ suscipes impoterum. Hoc precamur. Ipse Tibi adsit Deus. Regat Te in stadio academico, quod iam ingressurus es. Sufficiat Tibi vires tractandis studiis sufficietes. Faxitque, vt omnia Tua eo collineant, vt gloria nominis sui augetur; illustres Tui Parentes spe in te posita non defituantur; & resp. aliquando incrementa ex Te capiat, vberrima. Vale Deo commendatus! & Tua age feliciter. Dabam Bergæ. a. d. V. Cal. Octobr. MDCCXXXII.

VI

Iuueni ornatissimo, optimæque spei
CAROLO OTTONI PLESSMANN,
 S. D. P.
AVGVSTVS THEODORVS BAER,
 OPPONENS.

Regas vt dissertationem tuam impugnem. Quamquam graue sit quod petis: nolui tamen tuae voluntati non satisfacere. Tanta enim tua adhuc erga me fuit humanitas, tanta sinceritas, tantumque studium: vt si maiora etiam postulauisses, animo TIBI dedisset lubentissimo. Gratias TIBI vero ago, quas debo, maximas, qui hoc luculentio fiduciae Tuæ erga me documento declaraueris, quam me ames. Sed quid de dissertatione dicam? Thæma adspiciam; ipsam tractationem qua parte velim confiderem; conuenientiam, leporem, utilitatem & dignam offendit grauitatem. Praeclarum opus diligentie tuæ scholasticæ (absit adulatio) edidisti. Res est, crede mihi, non levis, (licet Tibi leuis sit,) cuncta eloquentia præcepta ex natura, & facultatibus animi deduxisse. Qui enim psychologiam vel primis tantum labris attigerunt, ac sciunt, quam

quam ardua, quam obscura, quam incerta in eadem inueniantur: qui nouerunt, quantam id, quod certi planique inest, animi præsentiam requirat, mecum consentient. Intimos mentis motus eruis, dum qua ratione flectendi, mouendi, & conuincendi sint hominum animi ostendere satagis. Bene agis, quod in ea re studium tuum operamque collocas. Quæ si rite explicita esset, plus in mouendis hominum mentibus possent proficere oratores. Gratulor ergo TIBI, gratulor TVIS, quos honoris causa nomino, Parentibus. Perge modo in eo, quo incepisti, tramite. Ad altiora musarum subzellia tendis, ad quæ & ego. Quid ergo? Facile, quid velim, intelliges. Quod hic degustauimus tantum, ibi rotum imbibamus, inque succum, ut aiunt, & sanguinem conuertamus. Summum, quod veneramur, Dei numen, quæ facis, quæ fecisti, quæque moliris & cogitas fortunet; ad nominis sui gloriam cuncta dirigat, cuncta gubernet. Vale, mihique, quod facis, faue. Dabam a. d. V. Cal. Octobr. MD CC XXXXII.

VIRO Juueni Florentissimo, Politissimoque

C. O. PLESMANNO,

S. D. P.

OPPONENTS

CHRISTOPHORVS IMMANVEL PAPPE.

Triennium est, ex quo aditus mihi ad Te, Tuamque familiaritatem patuit, non dico, quam optatus. Iucundum erat a latere Tuo esse, iucundus sane, fructus ex ea, quæ inter nos intercessit, consuetudine, capere vberrimos. Quisquis ingenii Tui prestantiam, liberalium artium peritiam, in optimis disciplinis diligentiam, doctrinæ soliditatem, morumque integritatem compertam habet atque exploratam, fidem de verbis meis neuriquam derraher, & si vellet, non poterit. Testes sunt omnes, quos in litteris elegantibus tractandis habuisti sodales: testes sunt doctores, a quorum ore pependisti: testis denique, & satis quidem locuples, est ipsa hæc dissertatio, a Te magno consilio, singulari studio, doctrina non vulgari conscripta, iam in lucem edita. Cuius si quis

quis examinauerit argumentum, id esse reperiet, quod non eruditio
nis mediocritatem, sed subtilem philosophiae cognitionem requirat. Præ-
cepta continere eamdem eloquentiae intelliget, ex præceptis Psycholo-
gicis variis, at grauiibus rationibus deriuata: quæ cum per seadmodum
sunt difficultia, tum vero multo difficiliora, si ex Psychologia deducere
conatus fueris. Gratulor ergo Tibi, VIR Juuenis Praestantissime, non
animi solum dotes præclaras, verum etiam specimen eximiaz Tua eru-
ditionis editum. Gratulor felicem studiorum successum, qui tantus
est, vt vale nobis dicens, ad altiora concedere litterarum domicilia animo
Tibi proposueris, quid? dico proposueris? quid facias, iudicatus fue-
ris dignissimus. Quæ quum ita sint, non est quod dubitem, fore, vt
Deus O. M. laboribus Tuis in posterum elementissime annuat, Teque
magnæ aliquando prouinciae, vt ea, quæ sollerter complexus es, digne
exhibeas, præficiat. Quæ vt ipse summus rerum arbitr faciat, ex
animo precor. Vale. Dabam in Pedagogio Bergensi.

a. d. V. Cal. Octobr. ID CC XLII.





01 A 6643



86-

D





78

DISSERTATIONEM
PRAECEPTA PRAECIPVA
ORATORIAE
EX
PSYCHOLOGIAE PRINCIPIIS
DEMONSTRANTEM,
PRAESIDE
VIRO NOBILISSIMO, ATQVE DOCTISSIMO
CHRISTIANO GODOF. STRVENSEE,
PAED. BERG. COLL.
IPSIS CALEND. OCTOBR., HORA II. POST MERIDIEM,
IN COENOBIO BERGENSI
DEFENDET
AVCTOR
CAROLVS OTTO PLESMANN.

MAGDEBURGI,
LITTERIS CHRISTIANI LEBERECHT FABRI, PRIV. TYP.
M DCC XXXXII.